INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XII. M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLXXV.

HABEBVNTVR.

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS

(G. VOGT).

VNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GVILELMAE
RECTOR ET SENATVS.

Augusti Boeckhii nuper editus opusculorum liber quartus, qui prooemia ab eo iussu et auctoritate universitatis lectionum academicarum tabulis praemissa complectitur, mirum quantum legentis animum tenet iuvatque: cum enim quae ille longo temporis tractu eadem certis intervallis redeunte opportunitate scripserat, nunc uno volumine comprehensa legantur, fortasse magis etiam nunc quam tum cum orta sunt singularem eius viri eloquentiam produnt, qui sive commilitones quod saepe faciebat ad litterarum studia admonebat excitabatque sive ex copiosissimo eruditionis penu promebat quo litteras antiquas illustraret, pariter admiramur felicis ingenii vim laetamque nullaque acrimonia tinctam dicendi disputandique venustatem. Postea senescente iam Boeckhio Carolo Lachmanno idem scribendi officium insignia aliquot doctrinae et acuminis specimina fere invito elicuit. Sed tertius qui successit Mauricius Hauptius etsi nonnumquam urgentem scribendi necessitatem accusabat, tamen non sine amore quodam hoc genus disserendi coluisse facile creditur, quo viginti per annos usus est ita, ut peragrans in quibus dominabatur litteras tam graecas romanasque quam germanicas scriptorum praecipue lectionem multis partibus aut feliciter emendando aut accurate explicando adiuvaret severitasque artis quid a lusibus ingenii distaret exemplo edoceret. Cuius viri post flebilem obitum noluimus hunc prooemiandi morem ab ipsis natalibus universitatis durantem magnisque nominibus luculentisque exemplis

honestatum in desuetudinem abire, sed usi collegae suam nobis operam commodantis voluntate pergemus, commilitones, non nudos vobis hos indices offerre sed auctos aut admonitione aliqua de studiorum ratione recte ineunda aut disputatione e communibus litteris quae olim rectius quam hodie vocabantur petita. Atque ordiemur hanc quasi novam prooemiorum seriem a disceptando Aristotelis loco, qui cum mancus in editionibus feratur, videmur nobis ad suam revocare integritatem posse et ita ut sententiam quidem ipsam quam recuperaturi sumus probatum iri putemus etiam iis qui in longe diversis litterarum campis positi has curas criticas fere contemnere et aspernari soleant.

Igitur Aristoteles in artis rhetoricae libro primo posteaquam universe de bono et utili locos unde suadendi dissuadendique argumenta ducantur exposuit, efficacissimum maximeque ad persuadendum appositum genus concionandi esse scribit quod rei publicae commodis ac moribus conveniens sit. Quare quoniam non eadem omnia in omni re publica sequantur ii penes quos vis sit et auctoritas, homines autem plerumque ea tantum sibi appetenda esse existiment quae conducere h. e. cum rei publicae salute coniuncta esse iudicent, novisse oportere oratorem quae sit cuiusque rei publicae vis et natura finesque perspectos habere ad quos referentes consilia aut salutaria aut perniciosa habituri sint auditores. Quattuor autem rerum publicarum formas vel quoniam monarchia duplex est aut tyrannis aut regnum quinque recenset non ea nunc distribuendi subtilitate usus quam in eadem causa secutus est in libris politicis, sed notissimas selegit formas earumque fines breviter sed satis ad hanc rem perspicue constituit. Scribit autem c. 8 p. 1365 b 29 — apponemus enim verba ipsa ut traduntur, quo facilius qua parte mutila esse videantur appareat — *εἰσὶν δὲ πολιτεῖαι τέτταρες, δημοκρατία ὀλιγαρχία ἀριστοκρατία μοναρχία, ὥστε τὸ μὲν κύριον καὶ τὸ κρῖνον τούτων τί ἐστιν αἰεὶ μόριον ἢ ὅλον. ἔστιν δὲ δημοκρατία μὲν πολιτεία ἐν ᾗ κλήρῳ διανέμονται τὰς ἀρχάς, ὀλιγαρχία δὲ ἐν ᾗ οἱ ἀπὸ τιμημάτων, ἀριστοκρατία δὲ ἐν ᾗ κατὰ τὴν παιδείαν. παιδείαν δὲ λέγω τὴν ὑπὸ τοῦ νόμου κειμένην. οἱ γὰρ ἐμμεμενηκότες ἐν τοῖς νομίμοις ἐν τῇ ἀριστοκρατίᾳ ἄρχουσιν, ἀνάγκη δὲ τούτους φαίνεσθαι ἀρίστους, ὅθεν καὶ τοὔνομα εἴληφεν τοῦτο. μοναρχία δ' ἐστὶν κατὰ τοὔνομα ἐν ᾗ εἷς ἁπάντων κύριός ἐστιν. τούτων δὲ ἡ μὲν κατὰ τάξιν*

τινὰ βασιλεία, ἡ δ' ἀόριστος τυραννίς. τὸ δὴ τέλος ἑκάστης πολιτείας οὐ δεῖ λανθάνειν, αἱροῦνται γὰρ τὰ πρὸς τὸ τέλος. ἔστιν δὲ δημοκρατίας μὲν τέλος ἐλευθερία, ὀλιγαρχίας δὲ πλοῦτος, ἀριστοκρατίας δὲ τὰ περὶ παιδείαν καὶ τὰ νόμιμα, τυραννίδος δὲ φυλακή. δῆλον οὖν ὅτι τὰ πρὸς τὸ τέλος ἑκάστης ἔθη καὶ νόμιμα καὶ συμφέροντα διαιρετέον, εἴπερ αἱροῦνται πρὸς τοῦτο ἐπαναφέροντες. Omittimus alia in his quae interpretis officium requirere videntur. In rerum autem publicarum finibus describendis cum nec tyrannis, cuius φυλακήν esse finem scribit, monarchiae loco esse possit et si vel maxime possit esse, quoniam monarchia in duo gravissimo discrimine seiuncta genera dispescuit, non monarchiae sed utriusque eorum generum finem significari par fuerit, apparet aut mirae negligentiae teneri Aristotelem, qui cum quinque res publicas posuerit ante, omisso regno quattuor tantum reliquarum fines declaraverit, aut per incuriam librariorum integrae olim sententiae eam nunc partem desiderari quae explicatum regni finem continebat. Non accusabimus Aristotelem negligentiae, qui etsi est nonnumquam paulo de conformanda oratione securior, tamen necessariam partem sententiae in tam brevi praesertim circuitu potuisse relinquere credi non potest. Itaque hoc agendum est ut explorato de ea re quid senserit Aristoteles verba quoque quibus ille suam expressisse sententiam putandus sit cum aliqua fide recuperemus. Id quod ei non contigit quisquis primus defectu orationis recte animadverso tamquam Aristotelia posuit verba quae in scholiis per Conradum Neobarium Parisiis a. 1539 editis leguntur βασιλείας δὲ ἐννόμως ἐπιστατεῖν, quae quidem Petrus Victorius, qui horum librorum enarrationem praeclare inchoavit, tam a fide librorum, quorum in nullo appareant, quam a sententia, quando secundum leges imperare finis quidem regni non recte dicatur, futilia esse et reiectanea nobis plane probavit, neque Osannum qui se eadem verba in codice aliquo legisse testatur in symbolis litterariis vol. II p. 20 non frustra eorum patrocinium suscepisse censemus. Sed Aristoteles cum tyranni et regis differentiam ita definiat in ethicis 8, 12 p. 1160 b 2 ὁ μὲν γὰρ τύραννος τὸ ἑαυτῷ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων, a quibus non discedunt quae eadem de re in politicis 3, 7 p. 1279 a 33 et b 6 scribuntur καλεῖν δ' εἰώθαμεν τῶν μὲν μοναρχιῶν τὴν πρὸς τὸ κοινὸν ἀποβλέπουσαν συμφέρον βασιλείαν . . . ἡ

μὲν γὰρ τυραννίς ἐστι μοναρχία πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τοῦ μοναρχοῦντος, cumque nunc eundem in sensum tyrannidis quidem finem esse dicat φυλακήν h. e. custodiam sui — eo enim pertinent omnia tyrannorum consilia quibus suum tueri dominatum student, de quibus multus est Aristoteles in politicorum quinto c. 11 —, ei φυλακῇ non videatur aliud aptius quo regni vim declararet opponere potuisse quam εὐεργεσίαν. Sic enim his inter se copulatis τυραννίδος δὲ (τέλος) φυλακή, βασιλείας δὲ εὐεργεσία cum tyrannidis φυλακή, cuius vim et sententiam sibi non satis planam esse Spengelius professus est, clariore etiam in luce ob ipsam contrariorum rationem ponatur, tum εὐεργεσίαν non leviter eo commendari putamus; quod non solum ἀπ' εὐεργεσίας constitui reges scribit Aristoteles in libris politicis 3, 15 p. 1286 b 10 (3, 14 p. 1285 b 6; 5, 10 p. 1310 b 34), sed eadem contineri dicit amicitiam regis et populi quae nulla esse possit tyrannum inter et subditos: καθ' ἑκάστην δὲ τῶν πολιτειῶν φιλία φαίνεται, ἐφ' ὅσον καὶ τὸ δίκαιον, βασιλεῖ μὲν πρὸς τοὺς βασιλευομένους ἐν ὑπεροχῇ εὐεργεσίας. εὖ γὰρ ποιεῖ τοὺς βασιλευομένους, εἴπερ ἀγαθὸς ὢν ἐπιμελεῖται αὐτῶν, ἵν' εὖ πράττωσιν, ὥσπερ νομεὺς προβάτων.... ἐν τυραννίδι οὐδὲν ἢ μικρὸν φιλίας. ἐν οἷς γὰρ μηδὲν κοινόν ἐστι τῷ ἄρχοντι καὶ τῷ ἀρχομένῳ, οὐδὲ φιλία, οὐδὲ γὰρ δίκαιον. eth. Nicom. 8, 13. p. 1161 a 10. 32.

Verum — οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, aiebat Melanippa. Nimirum verba illa quae reddi Aristoteli suademus totidem litteris exarata extant in codice bibliothecae regiae Dresdensis, qui Aristotelis libros de arte rhetorica et poetica et Demetrium Phalereum de elocutione continet, quem memoravit Naekius in Choerilo p. 111, accuratius descripsit Ebertus in libro quo eius bibliothecae historiam contexuit p. 241, Aristotelis editorum nemo ut videtur usurpavit. Eum vero librum, qui Eberto propter stemma chartarum Venetiis exaratus videbatur, apographon esse eius exemplaris quod Victorii aetate et ipsum in Italia erat, nunc est inter codices Parisinos 1741, certissima indicia produnt: velut ut pauca speciminis loco delibemus, in hoc ipso de quo dicimus capite cum vulgetur inque libris Vaticano, Palatino, quorum testimonia Bekkerus perscribit, feratur p. 1365 b 34 κατὰ παιδείαν, p. 1366 a 5 πρὸς παιδείαν, Dresdensis cum Parisino κατὰ τὴν παιδείαν, περὶ παιδείαν exhibet, et 1, 5 p. 1361 a 13 hanc memorabilem Parisini scriptu-

ram *χωρίων κτῆσις πλήθει καὶ μεγέθει καὶ κάλλει διαφερόντων, ἔτι δὲ ἐπίπλων κτῆσις καὶ ἀνδραπόδων καὶ βοσκημάτων καὶ πλήθει καὶ κάλλει διαφερόντων,* quorum haec postrema *ἔτι δὲ διαφερόντων* a correctore in margine posita sunt (nam Bekkeri non satis exactum est testimonium) accurate expressit Dresdensis, in eademque pagina 28 *εὐεργετικῆς δόξης* ceteri libri habent omnes, unus Dresdensis cum Parisino *εὐεργετικῆς εὐδοξίας.* Quam igitur fidem habebit codex qui nulla propria virtute insignis sit sed sit assecla eius testis cui omnem horum librorum memoriam deberi exploratum est? Nullam vero. Neque enim nos ut nostram foveamus sententiam eius libri auctoritatem extollemus ita ratiocinati, etsi universe Parisini codicis scripturas referat, posse tamen fieri ut peculiaria quaedam eademque vera ex alio quo fonte deducta teneat. Immo non quod illa verba in scripto libro leguntur vera esse arbitramur, sed quia ipsa haec sententia plane explet legentis desiderium, non repudiabimus feliciter inventum cuius memoriam ille nobis liber servavit. Quid enim dubitabimus, defectum orationis adeo manifestum ut attentum quidem lectorem fugere nequeat potuisse iam olim a docto Aristotelisque non ignaro homine et cognosci et recte ad mentemque scriptoris accommodate suppleri? cum praesertim etiam alibi in eodem libro aliquid seorsum ab exemplaris Parisini testimonio non sine ratione tentatum deprehendamus. Cum enim 3, 9 p. 1409 b 1 in Parisino libro haec legantur *ἡδεῖα δ' ἡ τοιαύτη (λέξις) καὶ εὐμαθής, ἡδεῖα μὲν διὰ τὸ ἐναντίως ἔχειν τῷ ἀπεράντῳ καὶ ὅτι αἰεί τι οἴεται ἔχειν περαντωα ὁ ἀκροατὴς καὶ πεπεράσθαι τι αὐτῷ,* Vaticanus autem Palatinusque *ἀεί τι ἔχειν οἴεται ὁ ἀκροατὴς τῷ ἀεὶ πεπεράνθαι τι* exhibeant abiecto scilicet vocabulo *περαντωα,* quod ex superiore *ἀπεράντῳ* per errorem factum esse hodie statuunt, Dresdensis liber in ceteris nihil deflectit a Parisino, pro *περαντωα* autem nomen ponit *περάντωμα,* successu quidem corrigendi dubio (debebat enim *περάτωμα*) sed consilio aperto.

Suis igitur rationibus potius quam scripti libri auctoritate stabit, si modo stabit, ea quam ratam habemus sententia. Discrimen autem illud quod tyrannum inter et regem constituisse Aristotelem putamus non illo magis tempore valuit quam valebit in aevum, apparuitque cum in multis rebus tum in doctrinae bonarumque litterarum cultu. Reminiscamini, cives,

quo tempore haec nata sit universitas quaeque eadem tempestate aliarum patriae nostrae universitatum discrimina fuerint et clades. Nempe qui tunc temporis tyrannus iugum imponere orbi terrarum affectabat, sibi videlicet suaeque dominationi cavens, extirpare ex rerum natura has liberalis eruditionis officinas cupiebat: contra sapientissimi regis beneficentia ita sentientis nulla re magis salutem publicam stabiliri augerique quam laete libereque efflorescentibus litterarum studiis condidit alias, alias instauravit universitates. Quo beneficio vere regio ita utamini, commilitones, ut in suo quisque genere strenue elaborantes eam opinionem animo imbibatis, recti verique studio non litterarum modo florem sed salutem populi hominumque societatem contineri.

Scr. Berolini cal. Ian. MDCCCLXXV.

LECTIONES.

I. ORDINIS THEOLOGICI.

1. *Professorum ordinariorum.*

A. Dillmann, Dr. Dec.

I. Publice archaeologiae biblicae capita quaedam ad res domesticas et civiles Hebraeorum pertinentia tractabit d. Sat. h. IX-XI.

II. Privatim 1) librum Iobi interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X; 2) librum Geneseos et capita quaedam libri Exodi exponet quinis p. hebd. scholis h. X-XI.

I. A. Dorner, Dr.

I. Publice orationem Iesu Christi montanam interpretabitur d. Sat. h. IX-X.

II. Privatim apologeticen Christianam seu dogmatices partem priorem eamque fundamentalem quinquies vel sexies tradet h. VIII-IX.

III. Privatissime et gratis societatem theologicam sueto more d. Iov. h. VIII-X vesp. moderabitur.

C. Semisch, Dr.

I. Publice historiam textus librorum Novi Testamenti Graeci d. Sat. h. IX-X exponet.

II. Privatim 1) historiae ecclesiasticae partem primam sexies p. hebd. h. VIII-IX enarrabit; 2) introductionem in libros Novi Testamenti sacros quinquies p. hebd. h. IX-X exhibebit.

F. L. Steinmeyer, Dr.

I. Publice homileticen quaternis p. hebd. scholis eo modo tractabit, ut binis recitationibus d. Mart. et Ven. h. V-VI theoriam artis doceat et d. Lun. inde ab hora V institutiones practicas exhibeat.

II. Privatim evangelium Ioannis praemissa de eius authentia disputatione quinquies p. hebd. h. IV-V interpretabitur.